



Pio fideli, & Christiano  
Lectori.

**Q**uod scitè olim, amice Lector, Comicum dixisse  
legimus, — ἐρχεται τ' ἀληθὲς εἰς Φῶς, ἐπιού & ὀλίγον  
μυόν, id mihi accidit in hoc tempore, singulari numi-  
nis providentia. Nam quum ante aliquot menses ad  
virum mihi amicissimum salutaturus peregre abuis-  
sem, libellus mihi imprudenti fuit oblatus, quem re-  
celare diutius mihi quidem summa est religio, & illi  
quoque religio fore videbatur. Is libellus est, Index  
expurgatorius librorum qui hoc seculo prodie-  
runt, vel doctrinæ non sanæ erroribus inspersis,  
vel inutilis & offensivæ maledicentiæ fellibus  
permixtus, iuxta sacri Concilii Tridentini de-  
cretum: Philippi II. Regis Catholici iussu & au-  
toritate, atque Albani Ducis consilio ac mini-  
sterio in Belgia concinnatus An. M D. L X X I.  
cum signo typographico Regis eiusdem impressus An-  
tuerpiæ, ex officina Christophori Plantini Pro-  
totypographi regii M D. L X X I. Sic habet prima  
libelli istius pagina. Hunc igitur libellum visum est in  
lucem edere Ecclesiæ & Reip. Christianæ bono. Quid,  
bono? inquires. Exponam quàm simplicissimè, ut pie-  
mentes & veritatis celestis studiosa ex hoc libro fru-  
ctum possint, quem spero & cupio, percipere. Fuit in  
more positum, si quando prisca Ecclesia & orthodoxi  
Patres animadverterunt damnosa dogmata aut scri-  
pta in populum Dei irrepere, ut ea non clanculum sed  
palam, non fraude sed veritate, non arte sed virtute  
Spiritus oppugnarent atque debellarent neque violen-